Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

et hunc spiritum maledictum procul ab ista famula tua
N. expelle. Sagittæ tuæ eidem spiritui sint infixæ, et
ipsum terreant, et brachia tua ipsum contorqueant,
uultusq; tuus qui respicit super facientes mala, ipsum
in ignem sulphuris præcipitet. Gladius tuus ex utraq;
parte acutus deuoret eum, et scindat eum per medium:
fiant loca eius deserta, et non sit qui habitet in eis. Tu
quoq; dne Jhesu Criste nutatem transferas, et hic spiri-
tus maledictus, cum omnibus socijs suis eijciatur de ista
habitatione, quam malitia sua feruescente teq; per-
mittente usu temerario sibi uendicauit. Destrue do-
mine eius iniqua consilia, que aduersum hanc famu-
lam N. et hominem malitia adiuuante iniquè ad-
inuenit. Taliter huius hostis maledicti maleficium de-
struatur, ut amplius nunq; habere possit effectum. Nobis
autem et huic famulæ tuæ fer opem, sed illi cum com-
plicibus suis non sit adiutorium. Quid ergo obdormis
domine, exurge, et præces meas ne repellas in finem.
Tu enim prope es omnibus te in ueritate inuocantibus.
Respisce ergo de cœlo, et de excelso cœlorum habitaculo,
super hanc famulam tuam N. et expelle ab ea hos
neguam spiritus, sicut quondam expulisti Cananæum
Jebusæum et Amorreum. Sit pars illorum spirituum